

Continetur hoc volumine *J. d. 10*

1. Diss. de rapto et cruce Pauli auct. Knapp.
2. Eund. — — — posterior
3. Diss. de laudis in viribus et sanguine genuino verae religionis Christi. Criticis et praef. Huesche
4. de naturae et gratiae regni praef. Baumgarten
5. an et qualiter voluntas possit cogi? Diss. philosph. auct. Wepf.
6. de cautionibus quibusdam, quae probationes dogmatum theologicorum, in attributio dicitur peritiae, desiderant. auct. Freylinghausen.
7. Thebesii Raspiß und Rind und Thuyf. Tobisch.
8. Verum veritatis medium varietatem Pro. gram. Knapp.

^{VI}
~~J. IV, 890.~~

Pr3
16w

~~III 410 J. IV 12~~

S. Knapp

9
VERVM
VERITATIS STVDIVM
RARISSIMVM ESSE
OSTENDIT

ET
LITTERARVM
PATRONOS AC FAVTORES

AD
ORATIONES VLTIMAS
QVINQVE CIVIVM PRIMI ORDINIS
ALIASQVE
IN PAEDAGOGIO BERGENSI

D. V. OCT. A. C. c1o 1o ccLI.
HORA II. POMERID.

BENIGNE AVDIENDAS
SVBMISSE ET OFFICIOSE INVITAT
C. KNAPP, RECT.

MAGDEBVRGI,
EX OFFICINA CHRISTIANI LEBERECHE FABRI.

VERITAS LIBERABIT VOS
VERITAS LIBERABIT VOS
VERITAS LIBERABIT VOS
VERITAS LIBERABIT VOS
VERITAS LIBERABIT VOS

VERITAS LIBERABIT VOS

VERITAS LIBERABIT VOS

VERITAS LIBERABIT VOS

VERITAS LIBERABIT VOS

VERITAS LIBERABIT VOS

VERITAS LIBERABIT VOS

VERITAS LIBERABIT VOS

VERITAS LIBERABIT VOS

8
11





§. I.

In omnibus rebus, de quibus inter mortales dici audimus, res vna omnium nobilissima est veritas. Nec quisquam est in omni hominum genere, qui non ad eandem omnia sua & cogitata & dicta & facta quodammodo exigere videri velit. A principum palatiis ad proletariorum tuguria, & a doctorum collegiis ad plebis circulos & sessiunculas profectus veritatem perpetuo laudari & testem citari audies. Id quod argumento est, ipsam veritatis naturam magna cum dignitate atque auctoritate coniunctam esse, quam ne prauissimi quidem ac sceleratissimi non sentiant & quodammodo reuereantur. Optandum esset, vt ne multi veritatem, vt sanctam quamdam imaginem, hoc vno solito & vsitato honoris cultu affectam, praterirent abiicerentque, vel, vt fit plerumque, fugerent etiam ac reformidarent.

A 2

§. II.

§. II.

Initio rerum in hoc vniuerso existentium homines rerum innumerabilium insolentiam admirantes non ita multarum cognitionem habebant, iis fere, vt videtur, suam scientiam, definiētes, quarum vsus ad vitam frugalem beate & tranquille agendam maxime erat necessarius. Sed quo hae pauciores erant, eo diligentius & scitius iisdem eos vsos fuisse probabile est. Postea quam autem cum omni vitiorum peste habendi cupiditas & auiditas creuit, sensim etiam nobilis per se scientiæ amor in morbum versus est. Iam non id agebatur, vt rectissima quæque, verissima vtilissimaque cognoscerentur suoque loco adhiberentur; sed vt multa, vt varia, vt plausibilia, vt quæstuosa: neque tam veritas ipsa, quam nomen illius & gloria anquirebatur, & quo quisque plura humanitatis ac virtutis officia deserens, & diuinam quasi virgulam dies noctesque manu tenens lucubrabat, scriptabat, garriebat, rixabatur, eo ardentior rerum naturæ venator veritatisque indagator habebatur, vt fere nihil abesset, quin ista illiberali & sordida opera, qua diuina veritas quæstui habebatur, id, quod natura verum est, amitteretur, aut a cauponantibus eam philosophis mendaciunculis adpersum corrumperetur.

§. III.

Vix crederes, nisi omnes libri, quibus rerum gestarum memoria consignata est, testarentur, veritatis nomen tam malis atque execrabilibus conatibus prætendi potuisse. Cæptorum humanorum ex omni historiarum serie veras causas scrutantibus tam horribilis se cupiditatum turba offeret, ex quibus cupiditatibus pestifera consilia & barbaræ actiones tamquam ex pestilenti fonte eruperunt, vt perpauca ex omni rerum ab hominibus patratarum numero relinquuntur, quarum probabilis sit origo ac tolerabilis. Hanc curam autem omnes
 necessa-

necessariam duxerunt, vt dicta factaque sua pulcerrimo & auctoritatis pleno veritatis nomine colorarent crustarentque. Ad hanc priuati in suis negotiis & controuersis, ad hanc consilii publici auctores in regendis ciuibus, in bello denuntiando, in foederibus pangendis & in aliis quibuscumque actis publicis prouocarunt, eadem etiam, si recte attendimus, omnes nituntur & gloriantur, qui caedes, qui peculatus, qui sacrilegia, qui nefanda quæuis maleficia perpetrant. Quum autem ii, qui docti vocantur, veritatis quasi propriam ad se possessionem vindicent, incredibile est dictu, quantas hi in veritatis gloria captanda tragedias excitarint & quantis odiis quantaque rabie inter eos pugnatum sit, præsertim postquam philosophiam Socrates a caelo & astris deuocatam in ciuitatibus habitare iusserat, vt de rebus bonis & malis, de vita & moribus, de salute ciuium quæreret. Iam enim in eam regionem philosophia venerat, in qua maxime varia hominum cupiditates habitabant, quas quum veritas acerrime accusatura videretur iisque aduersatura, neque tamen ipsius veritatis glorioso titulo summaque auctoritate quisquam carere posset, multi ab ipsius veritatis vultu ac voce refugientes sua commenta veritatis ornatu induta diuulgare cœperunt, & quum Socrates, quasi Deus aliquis in philosophia ingenue veritatem amplexatus & professus esse crederetur, omnes fere se hunc maxime imperatorem sequi gloriabantur. Et haud scio an, si hunc ipsius vestigiis religiosius persecuti essent, expolitorem atque ad vitam accommodatiorem certiore etiam philosophiam haberemus. Non ille, ad bellicæ formæ similitudinem, acie instructa & signis collatis de veritatis possessione contendere, non animorum facere incendium truci clamore solebat; sed tranquillo animo & cauendo ne eorum, quos erudire volebat, animus perturbaretur, ad veritatem eliciendam

accedebat. Et vereor, inter quos hac humanissima & ab ipsa natura, ut videtur, praescripta ratione quid verum sit, convenire non potest, ut illi inter istas sollemnitates & tumultus bellicos umquam firmam pacem sint inituri. Certe ista doctorum hominum gladiatura totam veritatis usuram amisimus: Prudentiores uideant, utrum eadem nobis, quod rapuit sit redditura.

§. IV.

Mihi quidem ipsae istae contentiones declarare videntur, veritatem ab istis bellatoribus minus amari. Nam quid sit per se veritas, hoc fere in aprico est & vix aliqui aliter cogitabunt, nisi eam esse perfectam sententiae animo conceptae cum re ipsa convenientiam. Deinde etiam hoc facile cernitur in quacumque re proposita, ea convenientia certa sit & indubia, an eius tantum species aliqua adsit ita quidem, ut res tamen alia esse possit, ac videtur. Quum igitur aliqui contrariis inter se sententiis concurrunt, dubitandum non videtur, quin pars saltem alterutra aut sciens falsum defendat aut id, quod suscepit, citius quam par est, pro vero haberi velit & vero simile pro vero accipi. Et fac aliquando aliquem veriorum sententiam secutum esse & propugnasse, mox tamen in alia quaestione forte accidet, ut idem deteriorem arripiat arreptamque tueatur. Ex quo, si quid video, colligi potest, qui ita in hac re versentur, ab iis veritati obsequendi castam sanctamque voluntatem abesse. Et si quis vel acerrimum veri cognoscendi obtinendique studium ostendit, aut in omni vitae ratione viri optimi formam praefert, hoc tamen nondum demonstratur, cum nihil aliud nisi nudam veritatem in omnibus sequi, nihil falsi vlla ratione ferre, nihil veri non ferre posse. Hoc enim in vitiis nostris est vel maximum & familiarissimum, quod ceteroqui satis probi vitia nostra domestica, qua

quæ sunt voluntatis, vix fatis animaduertimus. Ceterum si quæ sententiarum publicæ & sollemnes comparationes, nullo sinistro voluntatum motu, exercendi ingenii causâ, possunt institui, eas his quæ dixi, nolo notatas videri.

§. V.

Prauarum animi voluntatum, quæ in veri inuestigationem solent incurrere, numerum si vellem inire, & singulorum hominum naturæ perscrutandæ essent & longus liber exordendus, vt omnes singulatim exponerentur. Hinc præcipuas aliquas ac maxime notabiles designaturi hanc primam nominabimus, quod, quum honorem ante omnia ac laudem cupidissime captemus eamque ex eo, quod veritatis titulo splendet, expectemus, quumque non ipsa omnibus omni tempore veritas grata sit & accepta; ea vt vera interdum suscipimus, quæ iis, quibus placere cupimus, licet falsâ sint vel dubia, probantur. Hoc principio tota ars assentandi nititur: cui arti qui student, ii modo ea, quæ aliis visâ sunt, temere probant summoque applausu accipiunt, modo id ipsi statuunt & prædicant, quod ab iis, quorum beneuolentiam mendicant lubenter creditum iri approbatumque putant. Et hanc improbam artem in aulis principum ac diuitum regnantem per omnes hominum ordines penetrasse ii sentiunt ac dolent, qui sanctius veritatem colunt. Cartesium narrant cum ei antea visum fuisset in natura statuere vacuum, Mersenno illud dissuadente, mutasse consilium, & quidem non contrariis argumentis victum, sed meruentem, ne ista sententia non sit Parisiorum stomachi, eamque ob causâ, vehementius negato ac refutato vacuo, materia ista subtilissima omnia repleuisse, vt se Parisiis daret.

§. VI.

Sæpe aliquam sententiam amplectimur, eam ob causâ,
quod

quod vel per se grata est nobis ipsis vel præiudicatæ alicui opinioni fauet eamque confirmat. Pro suo enim quisque ingenio suas maxime familiares cupiditates sequitur. Sunt, qui gloriæ, qui voluptati, qui opibus ac diuitiis maxime student: & quæ mala excogitari possunt, quæ non alicui sint propria? Is autem est virium animi respectus & ordo, vt voluntas intellectu tamquam ministratore vtatur, a quo ea accipiat, in quæ se possit iniicere. Quum igitur dictis ab intellectu editis voluntati opus sit, vt habeat, quæ vel expetat vel respuat, ea que sit quasi regio & locus, in quo voluntas versari possit; ex hoc cognoscitur, cur ea, quæ voluntati ab intellectu præsentantur, pro vt voluntatis inclinationibus conuenientia sunt aut aduersa, aut neutra, ita ab eadem citius rata habeantur, damnentur, relinquuntur. Suam quæque propensiones, quæque in primis incitatiores animi commotiones habent philosophiam suaque in opinionum cogitationumque regno quasi prædia, quorum amœnitatibus fructibusque delectentur, siue ii fructus proximum sui vsum præbeant siue ad alia, quæ bona & gratiosa ante visâ sunt, iis abuti commode possimus. Graue etiam est & sæpe tyrannicum in rebus animo obiectis methodi cogitandi ac iudicandi imperium. Vt enim optimæ sæpe causæ in iudiciis ad malas leges & consuetudines constitutis quasi legitime & ex methodo amittuntur, ne ipsis quidem iudicibus errorem suspicantibus, ita etiam in omnibus vitæ atque eruditionis partibus peccatur, si de re aliqua iudicandum est, hanc vnâ ob causam, quod ad certam quamdam methodum, cui nos adfuefecimus quamque deperimus, veritatem exigere contendimus. Hinc mirum nemini debet videri, in rebus ad diuinam doctrinam spectantibus multos, qui veritatis volunt dictatores videri, tam pueriliter errare. Nam quia eundem calceum omnibus pedibus inducere

houp
con.

confueuerunt & ad profanæ rationis tribunal, qua de rebus ad vitam mortalem pertinentibus vix satis recte iudicare valet, causas caelestes & altius, quam vt mens humilis eas suspicere possit, positas vocare, non possunt non eas ineptissime decidere.

§. VII.

Satis arduus ac molestus labor iis, qui in eruditionis opere defudant, subeundus est. Et vereor, ne & huius exantlatæ molestiæ recordatio apud multos eruditos operarios graue momentum habeat vel ad obruendam quam procul contrariam adspexerunt, vel ad negandam vel ad adulterandam veritatem. Nemo facile operam suam in vllam rem frustra infusam esse vult, quam eo quisque animo suscipit, vt laboris fructum vel maximum percipiat; qui certe quieturus fuisset, si inanem & irricum fore conatum prauidisset. Hæc proprii sudoris ac diuturni laboris æstimatio quot libellos, quot theorias, quot ex eo genere alios ingeniorum fetus in lucem extruserit, partim scimus, partim scire possemus, si occulta & museis inclusa permultorum consilia miserandasque capitis macerationes videre licuisset. Imaginem prauarum eiusmodi positionum cogitationisque prouentuum in artificum officinis mercatorumque tabernis videmus. Illi si quid a se deterius & magis ad fraudem quam ad vsum factum sentiunt, tantum abest illud vt abiiciant, vt potius eo citius & eo maiori illius præstantiæ prædicatione vendant, quo interius eius pretium vilius esse sciunt; ne in cassum opera & materia infusa sit: hi sæpe promptuaria mercibus mucidis situque corruptis onerata habent, has quia magno cum periculo multaque pecunia eoëntas aduexerunt, ferendum esse non putant, vt illæ, cum maximo rei familiaris detrimento pereant summaque vi eloquentiæ efficere student, eæ vt ne sint inuendibiles.

B

§. VIII.

§. VIII.

Quamquam tutius est, tacite & occulte perfecta & absoluta opera in lucem proferre, quam iis, quæ in mentem venerunt, nondum tentatis gloriari aliorumque expectationem temere mouere; tamen ea est in multis gloria ac laudis auditas, ea confidentia, vt si quaestionem aliquam difficiliorem audierint, confestim recipiant, se eam explicaturos esse & nodum, aliis insolubilem, dissoluturos: itaque vel e vestigio suam expromunt sapientiam, vel sumto ad cogitandum spatio mox responsum referunt, tanta plerumque veritatis testificatione, vt temerarium esse videatur contra dicere. Alii ipsi, data occasione in quaestionem aliquam incidunt vel somniant aliquod consilium, quod se posse credunt exsequi. Iam huius consilii præconio omnia resonant, pollicentur & voce & scripto in re proposita suam reip. operam & profecto etiam se tota mente in illius rei cogitationem iniiciunt neque tempori neque industriae parcentes. Atque vbi tempus esse sentiunt soluendæ fidei, quidquid de ea re elaborarunt, id proferunt & vel louem lapidem iurant vera esse omniumque applausu digna, quæ pepererint.

§. IX.

Sunt aliqui, qui res nec leues nec non peruestigandas aggressi mira torquentur honoris cupiditate, quam quamuis inuentæ veritatis laude satiare gestiunt, tamen laboris molestias ac diurnitatem horrent, breuiori ac minus aspera via ad nominis immortalitatem tendentes. Hinc quidquid primum occurrit, quod aliquam habet veri similitudinem, in eo statim acquiescunt neque dubitant illud vt verum certumque cum aliis communicare, mirifice beatos se existimantes, quod glorioso veritatis inuentorum titulo insigniantur. Hi nisi laborem fugissent siquæ crudas suas cogitationes diutius ac patientius

tentius animo voluissent, accidere potuisset, vt in nudam tandem & apertam veritatem incidissent, ex cuius inuentione & reip. magna utilitas & ipsis verior ac iustior gloria enasci potuisset. In eodem vitio illi deprehenduntur sapissime, qui sui admiratione ac fiducia ingenii stultescentes ex suo cerebro nihil nisi perfectum, tamquam Mineruam ex Iouis capite, proflire putant posse.

§. X.

Omniū saeculorum libros inspicientibus & peruoluentibus apparet, quorundam auctores totam mentem in quaestionum maximarum diiudicationem intentam infixamque intelligentiam habuisse, sapius exorsa & prope detexta retexuisse, multa & varia tentasse neque prius destitisse incepto quam clausam ultra progrediendi viam offenderint. Aut igitur ab his veritatem, quam omnibus semitis ac vestigiis quibus potuerunt persecuti sunt, deprehensam accipiemus, aut quaedam saltem eius signa nobis ostendent, quae ipsam faciant probabilem, aut ea ita est abdita atque abstrusa, vt ne sagacissimis quidem se det conspiciendam cognoscendamque, aut nulla est omnino. Ex his quatuor vnum illis quaestoribus profitendum erat. Sed secundo pauci contenti sunt, tertium arroganti de humani intellectus praepotentia opinioni multum videtur detrahere, a quarta exigua laus expectatur; primum igitur illud, quod est honorificentissimum, se affectos esse omnibus persuadere conantur. En igitur habemus veritatem, si diis placet, certissimam probatissimamque, quae tamen, si rite rem inspexeris, vel nulla est, vel probabilis tantum, vel hominum intellectui negata & penitus abdita.

§. XI.

Tanta est multorum in iudicando leuitas, vt omnia eorum iudicia ex aliorum dictis pendeant. Aliqui omnibus

simpliciter assentiuntur, quæ ex aliorum ore vel scriptis acceperunt; alii si quid ab iis, quos vllam ob causam probant, iudicatum vident, id vt diuinitus enuntiatum amplectuntur; alii non possunt de rebus maxime celebribus iudicare, nisi ea ratione, vt omnia iudicia ad scholæ suæ ætate regnantis formam & ἀνελογοσύνην redigant, in cuius leges ac præcepta iurant. Raro quosdam videmus, qui quam ista veritatis tractandæ ratio plerisque sit familiaris ac sollempnis, quantoque illis ipsis sectatoribus sit impedimento suspicentur. Et si qui istam in re litteraria dictaturam contemnere audent suumque iudicium in libertatem vindicare, hos vt perduelles odio omnium subiiciunt omnique infamia cumulant. Hæc fere eorum sunt præmia, qui auctoritati principum eruditionis nonnumquam obstrepenti resistentes ipsam veritatem audire cupiunt. Inuitant ad limpidissimum veritatis fontem: accede audacius; mox frementes videbis. Nihil tibi vllius auctoritatem imperaturam dicunt; hoc enim barbaris quondam ætatibus impositum iugum hodie fractum esse & comminutum: Sed excute illud, quod ipsorum tyrannis imposuit; confestim omnes, tamquam ad incendium restinguendum, concurrent & experieris remp. litterariam non formam mutasse sed dominos. Hæc ingenue & pro ea, quam omnibus concedunt, libertate expono, non ea mente, vt omnem ex eruditorum republica auctoritatis vim sublatam velim, sine qua, ob multorum inertiam ac tarditatem, multo miseriorem eius statum puto futurum esse quodammodo; sed vt demonstrarem, non admodum purum & ingenuum esse in plerisque studium veritatis.

§. XII.

In his, qui ducis alicuius sententiæ castra sequuntur, magnum eorum esse numerum suspicor, qui non tam eius partis, quam

quam sequuntur, studio & amore ducti, quam prædæ aut honoris spe inescati stipendia faciant. Vident quosdam aliqua scientiæ forma exsplendescentes euolasse multisque diligentia præmiis cumulosos esse & quia hunc illius professionis putant fructum necessarium, eundem agrum colere incipiunt, eiusdem messis ubertatem expectantes. Obstupescimus sæpe, si eiusmodi homunciones vix nomen alicuius disciplinæ professos suæ artis arrogantia ita subnixos cernimus, ut si iam omnes istos speratos honores, titulos, famam, opes deuorassent, quorum omnium fortasse isti miselli nihil umquam consecuturi sunt. Ita præmia amplissima, tum ea, quæ merentibus, tum etiam, quæ indignis contingunt, quæque nobiles animos ad summum veræ virtutis studium incitare debent, cupidos ac suâ quærentes commoda sæpe allecant, ut ad quasdam eruditionis partes leui animo accedant & veritati cladem & ignominiam vix sanabilem inferant.

§. XIII.

Etiam contradicendi pruritus aliquando nouas quasdam propositiones parere solet. Eorum quæ ab aliis profecta sunt, quidam ita sunt impatientes, ita parati ad sua illis opponenda, ut vix audite, raro satis perceptæ, alienæ sententiæ suam statuunt contrariam, nulla alia ratione adducti, nisi quod ita facere consueuerunt, aut quod ferendum non putant, aliam sententiam præter suam pro vera haberi. Ut autem aliquando vera sint, quæ prius ab alio iudicatis opponuntur, tamen accidere necesse est, ut interdum sint falsa, tum scilicet, quum ab eo, qui prior tulit sententiam, vere iudicatum est: quod quidem posse fieri ipsi illi oblocutores non negabunt.

§. XIV.

Plura addere possem de variis diverticulis & auis, in quæ multi, qui recta via iter facere ad veritatis arcem videntur,

tur, dilabi solent. Sed iis, quæ supra exposui, quum reliqua fere omnia comprehensa sint, illi, qui hac inquisitione delectantur, omnia facile explebunt, si hoc, quod differui, ad impellendum facis, ad edocendum parum putauerint. Et hoc mihi fuit consilium, non ut omnia, quæ de hac re dici possunt, explanarem, sed ut eos, qui recte iudicare & possunt & volunt, ad hanc rem grauissimam alius eruendam enodandamque hac proluione incitarem. Nam ex iis, quæ disputata sunt, omnino sequitur, paucissimos esse, qui tota mente, qui in rebus omnibus, qui semper veritati adhaerescant. Veritatem amant ac defendunt, si ab ea parte statem vident, cum qua parte ipsi faciunt quæque pars ipsorum cupiditibus est conuenientissima: atque ita eam amant non quatenus est veritas, sed quatenus consiliis & appetitionibus ipsorum vel nihil detrahit, vel iis etiam amica est & opportuna. Vbi autem ea vel voluntatibus ipsorum plane non se offert vel iisdem aduersatur, ibi quodcumque visum se anquirentibus ostendit, id tenent speciosoque veritatis titulo exornant ac nobilitant, quem titulum sciunt solum honestum esse & decorum. Hæc quum non tantum fieri possint, sed sæpe etiam fieri notum sit atque apertum quumque multi eas fraudes, quibus suum ipsi intellectum circumueniunt, non sentiant; certum est, si quis verum se dicat inquirere, non statim sequi, ut is veritatem amet; sed omnia ante circumspicienda omnesque illius rationes excutiendas esse, quam eum pro sincero veritatis amico habeamus.

§. XV.

Nemo igitur de se ipse certo scire potest, se penitus & vnice veritatem amare eiusque cognoscendæ studio incensum esse, nisi qui se ipsum satis nouit omnesque animi sui dolos ac recessus acriter ac seuerè perscrutatus est. Vnus enim eius-
modi

modi dolus efficere potest, ut quoties veritatem vel summo labore exquirere videmur, toties nobis aliisque fucum faciamus longeque aliud sequamur, ac nobis aliisque, quamuis sæpe reclamante conscientia, persuadeamus. Quod qui intentius cogitabit & rei gravitatem sentiet, is fatebitur, omnibus & præsertim in litterario opere versantibus causas esse multo grauißimas in se descendendi omnesque prauæ & ad quæuis vitia inclinatæ voluntatis appetitus opprimendi, qui, tamquam malorum turba ciuium, contra veritatem coniurant & quibus in visceribus hærentibus veritas non potest non causa cadere. Quibus pestibus quum perpauci resistant & quidam contrariis vel ineptis subsidiis, qualia sunt omnia, quæ non a Deo petuntur, si vox experientiæ vera est, resistere conentur; in aprico est, quantum plerisque, veritatis simulacrum circumferentibus, sit fidendum. Quam vellem, hæc non incuriosis, non ignavis, non desperatis scripta esse!

§. XVI.

Ex primo ciuium nostrorum ordine quinque studia, in pædagogio nostra adhuc tractata, in academiam prolaturi IO. ANDREAS HVEBNER, Aſcan. adolescens animi probitate, pietate, morum suauitate, ingenii cultu atque eruditione longe nobis commendatissimus, IO. MATTHIAS SCHROECKH, Vienn. Austr. multa humanitate, pudore atque eruditione exornatus, CAROLVS GOTTFR. KRETSCHMAN, Wriez. Mesomarch. verecundia modestia, pietate non fucata ac litteris præstans, IOANNES PROTZEN ET CHRISTIANVS PROTZEN, fratres, Mesomarch. ingenio, doctrina ac moribus admodum politici, vltimas in Bergensi concione orationes habebunt. Quorum quum salus nobis mirifice cara sit quumque omnes eorum vndecumque acceptas facultates sacre Dei ciuitati & bo-
no

no publico perfecte dicatas deuotasque cupiamus; vnumquemque eorum singulatim diuini Spiritus moderationi, qui Christi causam agit & cuius vnus dignissimo suauissimeque imperio ingenui ac generosi animi parent, summa animi pietate permittimus.

§. XVII.

Qui litteras litteratorumque operas patrocinio suo ac fauore dignantur, illi nihil gratius nobis facere poterunt, quam si, demisse atque officiose rogantibus nobis, frequentem ac splendidam reddent hanc concionem, in qua dicturi sunt

IOANNES PROTZEN, submisse salutatis auditoribus de fructu rerum creatarum, quem ii, qui creatorem venerantur, perfectiorem percipiunt, orat. lat.

CAROLVS GOTTFR. KRETSCHMAN, de Atheorum stultitia, tritici culmo refutanda, carm. german.

IVSTVS DAVID RVEDIGER, Wernigerod.

HENR. PHIL. LEOP. DE OERTZEN, eques Megalopol.

CAROLVS CHRISTIANVS WAGNER, Magdeburg. &

CHRISTIANVS WILH. L. B. DE ZVLICH, Pomer. Succ.

de lignis & animantibus aquatilibus in lapides conuersis, colloquio german.

CAROLVS CHRISTIANVS CLAWSWITZ, Martisburg, ex historia vetere sacrorum librorum ac vaticiniorum diuinitatem elucere docebit, orat. german.

ERNESTVS IVLIVS DE BVGGENHAGEN, eques Pomer. idem argumentum persequetur, orat. ital.

IO. CHRISTOPH. ADELVNG, Pomer. historiam veterem, excellentem imperantium scholam esse demonstrabit, orat. gall.

CHRISTIANVS PROTZEN, erudicionis statum infinitis vicissitudinibus subiectum ostender, orat. lat.

IO.

IO. MATTH. SCHROEKH, Vienn. Austr. quæ ex ista mutabilitate sequantur exponet, orat. germ.

ANDR. CHRISTOPH. LVMME, Schœnbec. Magdeb. docebit in ista rei litterariæ inconstantia prudenter versandum esse, orat. german.

IO. AVGVSTVS S'TILKE, Magdeb.

CHRIST. ALB. GOTTF. SILCHMVELLER, Byruth. Franc.

GEORG. FRIDER. SCHROEDER, Wernigerod. &

IO. FRID. RINGERECHT ALLENDORF, Cothen. Anhalt. mirabilia quædam fontis Heronis spectacula repræsentabunt, germanice inter se colloquentes.

CHRISTIANVS GOTTL. LIEBERKVEHN, Mesomarch. magna Dei opera exiguis instrumentis, nullo fere molimento, perfecta prædicabit, carm. lat.

DIETER. WILH. CHRISTIAN. BECKMANN, Megalopol.

CHRISTIANVS AVG. DE BVSCH, eques Westph. &

VICTOR WILHELM. DE OERTZEN, eques Megalopol. valles Pedemontanas, rutilissimam veræ religionis, ad publicam sacrorum emendationem conseruandæ, arcem, adversus Romanensium finitimorum tyrannidem diuina architectura exstructam, lustrabunt, gallice differentes.

IO. ANDREAS HVEBNER, ecclesiæ militantis victorias canet & suo reliquorumque discedentium nomine Bergæ, studiosæ iuuentutis nutrice, bene precabitur, carm. german.

CHRISTIANVS MART. HEINZELMANN, Palæomarch. eos, qui Christi crucem defugiant, neque ad bonam frugem se recipere neque sacrarum rerum salutem scientiam consequi posse contendet, commilitonibus abituris studiorum progressus gratulabitur & dicet, quantam omnes oratores benignissimis auditoribus gratiam habeant.

P. P. Bergæ, IV. Non Oct. A. C. c1o 1o cc LI.

1792 * * 1792 Aria I.

1792 * * 1792

Aria I.

Welche Süße! die die Seele schmeckt,
Wenn sie ihres Schöpfers Spuren
Beim Genus der Creaturen
Ueberall entdeckt.

Strömet nur mit vollen Güssen,
Ueber uns in Honigflüssen,
Süße Quellen!

II.

Sorcht in der ältesten Zeiten Geschichte,
Vergleicht was ieder Seher spricht.
Strahlt euch nicht hier, mit dem göttlichsten Lichte,
Des Wortes Wahrheit ins Gesicht?
Trafen nicht Babel verkündigte Wetter?
Zitternd verstummer, verwegene Spötter!

III.

Schein! der nur betrüglich funkelt,
Der oft kaum der Dämmerung gleich:
Falsche Klarheit!

Aber strahle du auf mich,
Licht! das keine Nacht verdunkelt:
O du himmlisch schöne Wahrheit!

IV.

HERR! die Natur ehrt dich und horet
Und neigt zu deinem Willen sich:
Doch wenn die allergrößten Thaten
Durch dich dem schwächsten Arm gerathen,
Denn wirfst du herrlicher verkläret,
Denn bist du groß, denn fähst man dich.

V.

Weg! Furcht vor dem Creuze, du Schande der Christen!
Es bleibet mein Schmuck, der mir ewig gefällt.
Weg! alles, womit sich die Sinder sonst brüsten.
Noch mitten im Leiden will ich dich verehren,
Mein Zeichen des Sieges! Mein Ruhm auf der Welt!
Mein Lied auf der Harfe in himmlischen Chören!



01 A 6710

ULB Halle
003 092 364


3




Sb.

Z. 10 ✓







9
VERVM
VERITATIS STUDIVM
RARISSIMVM ESSE
OSTENDIT

ET
LITTERARVM
PATRONOS AC FAVTORES

AD
ORATIONES VLTIMAS
QVINQVE CIVIVM PRIMI ORDINIS
ALIASQVE

IN PAEDAGOGIO BERGENSI

D. V. Oct. A. C. clb Ib cc LI.

HORA II. POMERID.

BENIGNE AVDIENDAS

SVBMISSA ET OFFICIOSE INVITAT

C. KNAPP, RECT.

MAGDEBVRGI,
EX OFFICINA CHRISTIANI LEBERECHE FABRI.